

*fol. 5.* Item venerabilis dominus Johannes, hujus conventus prepositus, obiit in profesto Perpetue et Felicitatis [März 6.] anno Domini post millesimum tricentesimum quinquagesimo secundo. Item Onno fuit electus et confirmatus in anno salutis nostre millesimo tricentesimo quinquagesimo secundo, ipso die sancte Ghertrudis virginis et abbatisse [März 17.].

*fol. 5'.* In nomine Domini amen. Anno ejusdem nativitatis post millesimum terque centesimum quinquagesimo quinto obiit venerabilis Onno, crastina die sancti Brixii confessoris [Nov. 13.]. Et utiliter prefuit tribus annis et octo mensibus et duabus septimanis et quatuor diebus.

*fol. 6.* Item venerabilis dominus Hero quondam in Majori Bursum [Groß-Borsum] curatus, memoria dignus, vir doctus et multum scientificus, modestus et morigeratus, electus et confirmatus ipso die sancte Barbare virginis [Dec. 4.] anno salutis nostre millesimo tricentesimo quinquagesimo quinto. Qui rexit utiliter atque laudabiliter in spiritualibus et temporalibus viginti octo annis et septem mensibus.

*fol. 16.* Item anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo secundo, ipso die sancti Urbani pape [Mai 25.] consummatum fuit fossatum istud circa allodium nostrum in Nesse, temporibus domini Heronis prepositi, filii quondam Sebrandi Tyara in Emetha, qui fuit vir religiosissimus, gubernans conventum cum magna mansuetudine. Item tunc fuit prior frater Focco, et frater Folkardus, filius Menardi Attadisna de Emetha, quondam vicedecanus in Hinte, fuit tunc cellerarius, frater Frebrandus conversus fuit grangarius in Nesse, et soror Ocka Udana, de terra Rheidensi nobilissima, fuit hic principalior aliis. Et confossatum constetit LX marcas.

*fol. 24'.* Item obiit venerabilis dominus Hero prepositus, huic monasterio multum utilis, ipso die sancti Barnabe [Jun. 11.] anno salutis nostre millesimo terque centesimo octuagesimo tercio.